



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Landrada V. 8. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

Et Domino acceptam offert. Beatus, qui  
semper in seipso Dei memoriam colit; erit  
enim totus velut Angelus cælestis in terrâ  
cum reverentiâ Et amore sacrificans Do-  
mino. S. Ephrem in Beatitudinibus.

## S. LANDRADA V. 8. Iulii.

S CITE LANDRADA Virgo genus suum,  
quod è Principum Gallorum stemma-  
te ducebat, novit æstimare, dum despe-  
ctis, qui multi illam deperibant, terræ  
filiis omnibus, uni Agno intactam ser-  
vavit sese. Doluit id multum parentibus,  
ut qui generos, qui nepotes sperabant.  
Sed maluit illa familiam emori, quàm  
virginitatem; & satis se oblectabat nu-  
merosâ, quam domi alebat, paupe-  
rum sobole. His illa ultima servitia ex-  
hibere, interim pretiosum pudorem sub  
vilibus ancillarum pannis tegere, de-  
nique, quò tutior hîc foret, in ultimas  
solitudines asportare; si tamen solitudi-  
nes rectè dicimus, quas ab adventu ip-  
sius Cælites deinceps cantu suo frequen-  
tarunt, lumine exhilararunt. Et fuit,  
cum hi ipsi, festiva inter tripudia, Mne-  
mosynon illi à sponso crucem artificio-  
sam è cælo detulerunt. Huic illa mox a-  
ram; aræ templum; templo se suaque di-  
care ad ultimum vitæ diem usque. Ab hoc  
spectabilis Lampertò Episcopo tumu-  
lum eo in loco se velle significavit, in  
Ee quem

434 VITÆ SANCTORUM. 9. Julii.  
quem delapsa primùm Crux foret : quod  
ne fieret, cùm homines intercessissent,  
bonam operam boni Angeli locarunt,  
suisque manibus castissima membra eò  
deportata composuerunt. Tam nobiles  
Virtus Vespillones habet. *Ex Surio.*

*Memor esto arrepti propositi, & imagi-  
nem tibi propone Crucifixi. Benè verecun-  
dari potes, inspectâ vitâ Jesu Christi, quia  
nec dum magis te illi conformare studuisti,  
licet diu in viâ DEI fuisti. Tho. à Kemp.  
l. I. c. ult.*

S. ANATOLIA V. M. 9. Julii.

**R**ECTè lilium dixeris virginitatis, sed  
spinas easque plurimas inter. Vel A-  
NATOLIA palàm id facit, pulcherrimi  
candoris & ipsalilium, quod ubi carpere  
procus impudens desperavit, ex amato-  
re hostis factus; Fidem apud Judicem  
accusavit, cujus castimoniam non po-  
ruit. Itaque ex veteri, sed pessimo mo-  
re in exilium virtus mittitur. Sed fallor.  
patriam putasses, ita in honore etiam  
ibi fuit. Etenim cum Diodori Viri Con-  
fularis filius (Anianum dixerunt) à malo  
genio correptus saepenumero discrucari  
ab *Anatolia* se clamitasset, quin rup-  
tis subinde vinculis ad illius pedes abje-  
ctus, missionem tandem accepisset, ili-  
ret ea fama totum Piceni agrum perva-  
sit, ut jam commune omnium mor-  
bido-